

pro officio tuo omnes qui ab hac sessione affuerunt diligenter adnotes, atque omnium quæ tractata et peracta sunt, accuratam ac fide dignam relationem conficias.

6.—*Pro decretorum lectione.*

Quum post repetitam congregationum consultationem et Reverendissimorum Episcoporum maturam deliberationem, Deo adjuvante jam id obtentum sit, ut plura decreta et statuta communi assensu Patrum potuerint definiri, Nos N.N., hujus Concilii promotores, devotissime instamus ut horum decretorum publicatio et promulgatio fiat.

7.—*Pro continuanda lectione decretorum.*

Cum ea quæ cœpta sunt legi decreta propter angustiam temporis absolvi nequiverint, Nos N.N., hujus Concilii promotores, petimus et instamus ea legi quæ desiderantur antequam dimittatur Concilium.

8.—*Pro indictione proximæ sessionis.*

Cum ex usu synodali in præsentī sessione tempus proximæ sessionis indicendum sit, Nos N.N., hujus Concilii promotores, instamus ut idem quoque nunc fiat.

9.—*Pro subscribendis decretis.*

Cum, opitulante Deo et auspice Maria, plura jam sint ab hujus Concilii Plenarii Patribus sancita decreta quæ, uti sperandum, valde huic Dominio utilitati erunt atque decori, Nos N.N., hujus Concilii promotores, rogamus ut hæc decreta ab omnibus Concilii Patribus subscribenda decernantur.